



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XVII. In Tit. XVII. De Filiis Presbyterorum Ordinandis, Vel Non
Ordinandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

Ordinum collatione aliquid omissum sit, vel non observatum per oblivionem, aut errorem, non ideo totus actus iteretur; sed secundo id, quod omissum fuit, cautè suppleatur statis temporibus, quibus ordines conferuntur; ut, si in ordinatione pro Subdiaconatu, Diaconatu, vel Presbyterio, omissa fuisset impositio manûs; in confirmatione, unctio facta fuisset non chrismate, sed Oleo &c. sic Desselius, *h. t.*

2208.

Eodem titulo c. 2. movetur duplex quæstio 1. an corpora defunctorum fidelium, quæ à Schismaticis sepulta sunt in loco sacro, iterum ex humari? 2. an vestes Sacerdotales, cum quibus, & Altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrârunt,

iterum benedici, vel consecrari debeant? & ad utramque respondet Honorius III. ac ad 1. negativè, nisi scienter elegerint, vel consenserint in eam sepulturam: ad 2. etiam negativè, ut colligitur ex c. *Ecclesijs* 20. *dist. 1. de Consecr. an.*, & qualiter iterari possint, vel etiam debeant alia Sacramenta, quæ Characterem imprimunt, si prudens dubium superveniat, num validè recepta sint? præsertim Baptismus? pertractat copiosè Quintanaduenas *singularem tractatu* 1. à *singul.* 1. & *seq.* Cardinal. de Lugo in *Respons. moralibus* l. 1. d. 1. *cum seqq.* & alij; de quo etiam dicemus infra, V. etiam n. 2809.

* *

QUÆSTIO XVII. IN TIT. XVII. DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON ORDINANDIS.

2209.

Sermo est de Filijs Presbyterorum non stantùm ijs, quos genuerunt, dum essent in sacris; sed etiam illis, quos ante sacros Ordines susceperunt ex legitimo thoro. Nam defectus natalium, sive solùm ex fornicatione simplici, sive ex damnato coitu proveniat, inhabilem reddit ad suscipiendos Ordines etiam Minores c. 1. *h. t.* ibi: *Filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur.* & c. 1. *eod. in 6.* ubi Episcopo conceditur, posse dispensare ad Minores Ordines cum illegitimis, si aliud eis Canonicum non obstat.

ARTICULUS I.

An, & qualiter illegitimi ad suscipiendos Ordines admittantur?

2210.

IN c. *fin. h. t.* Gregorius IX. rescribens Turon. Archiepiscopo statuit, & mandavit, *ne Filij Sacerdotum, & alij, non legitime nati, ad dignitates, & personatus, & alia Beneficia, curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveantur; quod universim, quoad omnes illegitimos statuitur c. 18. h. t.* ibi: *nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas ex eo, quod filij Sacerdotum, & alij non legitime nati, ad dignitates, & personatus, & alia Beneficia, curam a-*

nimarum habentia, sine dispensatione Sed. Apost. promoventur. Quo circa, mandamus, quatenus (prædictis personis à personatibus, & dignitatibus, & hujusmodi Beneficijs prorsus amotis) ea personis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipsorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præsumatur, districtiùs inhibemus: & c. 1. *eod. in 6.* idem statuit Bonifacius VIII. ubi tamen additur: *cum, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi, licitè posse (si ei aliud impedimentum Canonicum non obstat) ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo tale sit, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari.*

Excipe tamen 1. nisi vitam Monachi amplectatur; tunc enim, favore Religio- nis etiam sine dispensatione admittitur ad ordines, post professionem c. 1. *dist. 56.* ubi Urbanus II. ait: *Presbyterorum filios, à sacris Altaris Ministerijs removemus: nisi aut in cœnobijs, aut in canonijs, religiosè probati fuerint conversati: sed hoc intelligendum est de illis, qui paterna incontinentia imitatores fuerint.* Verùm si morum honestas eos commendabiles fecerit, exemplis, & auctoritatibus, non solum Sacerdotes, sed etiam summi Sacerdotes fieri possunt; de hoc etiam agitur c. 1.

c. 1. h. t. ex C. C. Pictaviensi, ibi: ut filij Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes: praelationes verò nullatenus habeant: sed neque servi, nisi à Dominis suis libertate donentur. Ubi nota, per vitam Monachi, quemlibet statum Religiosum intelligi, in quo quis emissis votis evadit verè Religiosus, ut pluribus probat Pirhing. hic à n. 6. & illegitimum, qui factus est Religiosus cum effectu, non propterea habitari ad Prælaturas, sine dispensatione Papæ c. 1. h. t. junct. gloss. V. Prælationem; nec ad Beneficia curata intra, vel extra Ordinem, c. ult. h. t. bene tamen, ad Ordinis officia alia non curata, c. ult. h. t. Not. 2. Monachum illegitimum, nec de consensu sui Superioris, posse esse Vicarium Episcopi, licet professione sit legitimatus; Sanchez de Matr. l. 8. d. 1. c. 5. à n. 16. Barbof. in c. 1. de fil. Presbyt. n. 8. & filium illegitimum alicujus Religiosi, posse Patri suo succedere in Prælatura ejusdem Religionis, in qua ipsius Pater Prælaturam, vel dignitatem habuit, aut habet, affirmari à Fratre Emmanuele; negari à Miranda apud Barbofam in c. 3. de fil. Presbyt. n. 7.

2212. Excipe 2. nisi necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiæ postularer, illegitimum ad Ordines admitti; ne scilicet in Ecclesiæ detrimentum cedat, quod in ejus commodum inductum est à jure. Excipe 3. nisi defectus natalium sit occultus, & dispensatio occultè peti non possit, sine sua vel parentum infamia apud Papam vel Episcopum in casu, quo illegitimum utiget gravis necessitas Ordines suscipiendi. Sic Pirhing h. t. n. 9. Excipe 4. nisi restituantur natalibus, vel per subsequens matrimonium, vel Rescripto Pontificis, aut alterius, qui tales legitimare potest ad hunc effectum.

ARTICULUS II.

Quis dispenset ad Ordines cum illegitimis?

2213. EX dictis n. 2209. constat, cum illegitimis Episcopum dispensare posse ad minores Ordines tantum; & consequenter ad Beneficia simplicia, non autem directè ad curata; nec ad dignitates: ad sacros verò Ordines, & Beneficia majora

Tom. I.

solum Pontificem per c. 1. h. t. in 6. ibi: is, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi licitè potest (si ei aliud Canonicum non obstat) ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari; ad Ordines quoque majores, vel Beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione sedis Apost. promoveri non potest.

Not. autem 1. cum dicimus, Episcopum dispensare posse cum illegitimis ad beneficia simplicia, intelligi illa, super quibus Episcopus potest dispensare, ut monet ipse textus in cit. c. 1. nimirum ipsum non prohibente, à tali dispensatione; jure communi, consuetudine Curie Romanæ; aut Ecclesiæ particularis, statuto jurato, vel à Papa confirmato, ut tradunt Doctores in cit. c. 1. h. t. in 6.

Ex quo colliges quædam beneficia esse extra Episcopi potestatem quoad hunc casum cum illegitimis, ut sunt, quæ habent annexam dignitatem, vel personatum, etiam sine cura; sic Azor p. 2. l. 6. c. 3. q. 3. Secundo, quæ requirunt in beneficiato Ordinem sacrum; tertio, quæ illegitimi parens prius habuit in tali Ecclesia, gloss. in cit. c. 1. v. tale; quarto, Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, secundum stylum Curie Romanæ: quinto dignitas prima, seu principalis in Ecclesia Collegiata, secundum eundem.

Not. 2. licet irregularitas, ex defectu natalium, foret occulta, adhuc cum illa dispensari non posse per Episcopum, vi Tridentini Sess. 24. c. 6. & Ordines sacros; quia non est ex delicto subjecti irregularis. Nam omnes illegitimè nati sunt irregulares, etiam si defectus sit occultus, & publicè habeantur pro legitimis; Layman. l. 1. tr. 5. c. 5. à n. 1. Hinc nec ad Ordines, nec ad beneficia promoveri possunt; Not. 3. nos n. 2213. signatè dixisse, Episcopum cum illegitimis dispensare non posse directè ad beneficia curata; nam secus est indirectè, ut si per accidens unita forent beneficio simplici aliàs ab Episcopo conferibili; sic Barbof. in c. 6. de fil. Presbyt. num. 3.

Rrr 2

ARTI.

ARTICULUS III.

De Filijs Presbyterorum legitimis, & illegitimis.

2216. Quæstio est 1. an filius illegitimus alicujus Clerici, etiam solum in minoribus constituti, possit obtinere beneficium aliquod Ecclesiasticum? R. negativè ex c. 2. h. t. quod tamen accipe de Beneficio in Ecclesia, in qua Pater ejus ministravit; & si talis, tacitò, quòd esset ejusmodi Sacerdotis filius, rescripto Apostolico, ut in ea Ecclesia Capellanus existeret, in eo institutus est, non obstante tali rescripto, removendum esse; sic Alexander III. scribens ad Episcopum Licon, dum ait: ad præsentiam nostram accedens R. Presbyter, tacitò quòd esset filius Sacerdotis, impetravit à nobis, ut in Ecclesia, in qua Pater ejus ministravit, existeret Capellanus: ideòque mandamus, quatenus si tibi constiterit, quòd memoratus R. sit in Sacerdotio genitus, & quòd Pater in eadem Ecclesia ministravit: non obstantibus prædictis literis nostris, ipsum amoveas ab eadem. Similiter præsentium. c. 3. eod. expressè deciditur, filium Sacerdotis Ecclesie paternæ præesse non posse; id, quod etiam dicitur c. conquereute, 4. eod. & c. cum devotorem, 15. eod. ibi: filijs Canonicoꝝ præbendas, in eisdem Ecclesijs, conferri non sinatis, quarum sunt Canonici patres eorum; sic Innocent. III. rationem reddens: cum indecorum sit, ut in Altaris officio, illegitimus filius, impudico Patri ministret, in quo Unigenitus DEI Filius æterno Patri, pro salute humani generis, victimatur. Hinc, si illegitimus, maxime filius Spurius, instituatur in Ecclesia, in qua institutus est ejus Pater, institutio non valet; & instituens à suis beneficijs suspenditur, ut dicitur c. ad abolendam. 16. eod.

2217. Not. tamen 1. quòd Episcopus, qui scienter contulit filio Sacerdotis illegitimo (ut notat Layman in c. veniens n. 1.) paternam Ecclesiam, exinde non possit illum remove per cit. c. veniens 5. h. t. si autem ignorans, possit illum in eadem permitti, donec in alia ei Ecclesia provideatur, unde honestè valeat sustentari? sic Alexander III. Ex hoc colliges 1. quòd, si

Episcopus illegitimum Sacerdotis filium scienter instituat in Ecclesia paterna, & facti pœnitens, eum removeat, substituto altero, remotio non valeat, in pœnam facti contra sacros canones, jure ipsum privante potestate, faciendi talem remotionem; sic Layman in cit. c. veniens, n. 2. Hinc Colliges 2. quòd superior, proprio facto contradicere, illudque oppugnare, aut rescindere, non possit, si illud (v. g. collatio beneficij) secundum substantiam, seu jure naturali subsistat, donec à Superiore rescindatur, ut colligitur ex cit. c. Veniens.

2218. Not. 2. quamvis verum sit, quòd illegitimus, tacita inhabilitate sua, promotus ad beneficium Ecclesie paternæ, Episcopo vitium natalium ignorante, removendus sit, ut dictum est; si tamen taliter promotus, pro gratia Papæ supplicet, eum esse tolerandum juxta c. veniens, donec alibi accomodetur; & hoc partim ex commiseratione, ne alimentis careat, præsertim, si jam sit in sacris ordinatus; partim in odium Episcopi, temerè illum promoventis, & mox factum retractantis; ne factum illud approbari videatur; sic Layman cit. n. 2.

2219. Not. 3. ex suppositione, quòd filius Sacerdotis, vel alias, illegitimè natus, jam ordinatus sit, ei esse de Beneficio providendum, ut dicitur c. proposuit 6. h. t. Et ideo in tali casu præsentatus à Patrono, ad Ecclesiam patronatam, non potest ab Episcopo rejici ex eo, quòd sit illegitimè natus; quia, ut ibidem ait Alexander III. indignum est, quòd, postquam est in Subdiaconum ordinatus, omninò debeat beneficij Ecclesiastici provisione carere.

Not. 4. illegitimum posse præesse Ecclesie, in qua Pater ejus sine titulo ministravit, vel servivit, ut Vicarius temporalis, vel Capellanus amovibilis. Barbof. in c. Constitutus, 8. de fil. Presbyt. n. 2. & 3. & constat ex ipso textu cit. c. 8. ibi: si tibi constiterit, quòd Pater ejus præfata Capellane persona, seu perpetuus Vicarius, non fuerit.

2220. Quæstio est 2. an filius Clerici, sed legitimus (nimirum ex legitimo matrimonio genitus) possit beneficium Ecclesiasticum obtinere? R. quòd non possit immediate succedere in beneficio, quod Pater ejus obtinuit in titulum, & tanquam Rector,

Rector, vel Vicarius possedit, ut dicitur in c. 11. h. t. cujus ratio sumitur ex Tridentino sess. 25. de reform. c. 7. quia in beneficijs Ecclesiasticis, ea, quae praeserunt speciem hereditariae successionis, sacris constitutionibus contraria sunt, per c. Apostolica 8. q. 1. Idem definitum est in c. Michaël. 13. eod. ubi dicitur Filium, non posse esse Vicarium perpetuum Ecclesiae, cujus immediate parens Rector fuit; & si Pater in aliqua Ecclesia Vicarius intitulatus fuit, non posse immediate post ipsum, filium eam Vicariam consequi. Et in hoc solum summum Pontificem posse dispensare, constat ex c. dilectus 17. eod. §. quo circa.

2221. Not. tamen 1. legitimum filium Clerici posse succedere Patri in beneficio, quod Pater ejus prius obtinuit, si ei non succedat immediate; sed solum mediate, si scilicet inter Patrem, & Filium, post Patris obitum, intercessit alia persona, cui praedictum beneficium est collatum, ut constat ex c. Ex transmissa 7. h. t. Sic enim non Patris, sed huic personae mediae Successor existit. Unde super hoc Alexander III. Archiepiscopo Cantuariensi, mandamus inquit, quatenus, si ita est (nimirum, si in beneficio ejus Ecclesiae inter Patrem, & Filium media intercessit persona, cui praedictum beneficium est collatum) praenominatum Guil. ad praefatum beneficium admittere, non postponas, non ideo minus observato Apostolici rescripti decreto, quod successionem in Ecclesia DEI hereditariam detestatur.

2222. Dixi Filium legitimum. Nam in hac materia triplex differentia singularis datur inter legitimum, & illegitimum presbyteri Filium. Prima, quia Filius legitimus, ac Pater ejus, in eadem Ecclesia, eodem tempore, possunt habere beneficium, ut constat ex cit. c. ad haec 12. h. t. non autem illegitimus, & Pater ejus, per c. Literis 14. h. t. quod expressè loquitur de illegitimè genito, etiam de uxore; & Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 15. ibi: Ut paterna incontinentiae memoria à Locis DEO consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesijs, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam dissimile be-

neficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quoquomodo ministrare; nec pensiones, super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quòd si in praesenti Pater, & Filius, in eadem Ecclesia beneficia obtinere videntur, cogatur Filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare, extra Ecclesiam, intra trium mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, & super iis quaecumque dispensatio sutreptitia censetur.

2223. Secunda est, quòd Filius illegitimus, & Pater ejus, eodem tempore, in eadem Ecclesia, nec dissimilia beneficia obtinere possint; secus legitimus, & Pater ejus, ut dicitur in Trid. loc. cit. Tertia est, quòd Filius illegitimus nec mediate possit in eodem beneficio succedere Patri suo; secus legitimus ex Constitut. Clement. VII. apud Gigant. de pensionib. q. 86. & Barbosam in cit. c. ad haec nu. 4. cum autem hoc decretum sit poenale, ac odiosum, extendi non debet ad nepotes talium Clericorum; sic Navarr. consil. 9. à nu. 9. de Fil. presbyt. & plures alij apud Barbos. in cit. loc. Trid. nu. 6.

2224. Not. 2. Filium, etiam illegitimū, in administrando beneficio Ecclesiastico, quòd obtinet, posse licitè constituere Patrem suū, Vicarium merè temporalem; hoc enim nullo jure cautum est; sic Layman in c. Constitutus. 8. h. t. nu. 1. & textus solum loquitur de illegitimo, recipiente beneficium in Ecclesia, in qua Pater ejus beneficium habet, vel habuit; hinc, etiam Patrem non prohiberi, obtinere beneficium in Ecclesia, in qua ejus Filius habuit idem, vel quodcumque aliud, etiam dissimile, tradunt Rebuff. in praxi benefic. tit. de dispensat. super defectu natal. num. 29. Fr. Emman. in summ. tom. 1. c. 29. nu. 4. in fine; Vegapart. 1. summ. c. 36. casu 18. Sayr. de censur. l. 7. c. 10. num. 44. & seq. Less. de institut. lib. 2. cap. 34. n. 91.

2225. Not. 3. Filium Episcopi legitimū, promoveri posse ad Ordines, & in paterna Ecclesia beneficiari etiā quoad Ecclesias, in quibus praesunt, vel praefuerunt genitores eorū, licet beneficium collatum Filio simile sit paterno; ut si Filius fiat Canonicus in eadem Ecclesia, in qua Pater ejus Canoniatum habet; sic Rebuffus in praxi, tit. de dispensat. super defect. natal. Nam in hoc casu

casu non succedit Filius Patri, quando in eadem Ecclesia aliud, licet simile, beneficiū obtinet; & habetur in c. *ad hæc*, 12. *h. t.* ubi Clemens III. Archiepiscopo Cassel. ad quæstionem: *an à Pontificibus generati, valeant ad sacros Ordines promoveri, si scientiâ fuerint, & morum honestate probabiles?* respondit: *sciat, Fraternitas sua, quòd, si ex legitimo sunt matrimonio procreati, nec aliud Canonicum objiciat: licetè possunt ad sacros Ordines ascendere, & in eisdem Ecclesijs, in quibus præsent, vel præfuerunt genitores eorum, beneficium obtinere.*

Ex hoc conciliatur hoc capitulum cum c. *ad extirpandas*, ut scilicet cap. *ad hæc*, loquatur de Filijs legitimis, qui volunt præfici in eisdem Ecclesijs, in quibus eorum parentes obtinent, vel obtinuerunt aliud, vel simile beneficium; capit. *ad extirpandas* verò, loquatur pariter de filijs legitimis in eisdem beneficijs succedere volentibus Patri; hoc enim in isto prohibetur; illud autem in altero conceditur; sic Felinus c. *In nostra, de rescript. col. 3.*

2226. Not. 4. Filium, quem Sacerdos post promissum continentiaæ votum ex uxore suscepit, absolute loquendo, *legitimum esse*, consequenter hæreditariae successione, aliorumque jurium capacem; cum ex vero matrimonio, & justis nuptijs natus sit. Nam matrimonium semel legitime contractum nullo continentiaæ voto solvitur; & si consummatum sit, nec professione Religiosa, ut diximus l. 4. ita Suarez D. 50. de Censur. S. 2. nu. 3. Sanchez de matr. D. 38. licet oppositum doceat Rebuff. in praxi, tit. de dispens. super defect. natal. nu. 4. & gloss. in c. *Literas* 14. *h. t.* V. not. unic.

2227. Not. tamen 5. licet talis filius legitimus sit, esse tamen *irregularem*, consequenter sine dispensatione Papæ, ad sacros Ordines, & beneficia Ecclesiastica promoveri non posse, ut colligitur ex c. *litteras*, 14. *h. t.* ubi dicitur, illegitimè genitum, etiam de uxore, sine dispensatione ad Ordines, vel beneficia promoveri non posse,

& hoc duntaxat sensu ejusmodi filium *illegitimum esse* docet Gonzalez in cit. c. *Litteras* n. 3. nimirum quoad Ordines, & beneficia Ecclesiastica (non quoad hæreditatē, & alia temporalia) cum irregularitas ex defectu natalium proveniat ex illegitimitate canonica; addens: non esse novum, quòd quis diversis respectibus habetur pro legitimo, & illegitimo, juxta c. *per Venerabilem. Qui Fil. sint legit.*

Not. 6. quamvis gloss. in c. *ad hæc* I. *h. t. V. Filij*, neget nepotem in eodem beneficio immediatè succedere posse avo suo; rectius tamen sub distinctione affirmati ab Hostiensi in *summa hujus Tituli*, §. *qui Filij. de successione facta vivo Patre suo*, non autem eo mortuo. Nam si succedat avo, vivo adhuc Patre, vitatur tota ratio hæreditariae successione, quæ in his prohibitionibus principaliter cavetur; secus, si Patre mortuo; quia tunc avo, est loco Filij. Si etiam Sylvester V. *Beneficium*. 3. q. 6. Layman in c. 2. *h. t. n. 3. §. quaritur secundo*; quia in odiosis nomine Filij non venit *Nepos*. V. nu. 2223. Not. 7. Filium, illegitimè natum, vivente Patre suo, non posse recipi in Religionem, vel Monasterium, in quo Pater ejus professus est, ex Constitut. Greg. XIV. incip. *Circumspecta*, apud Quarantam in *summa Bullarj*, V. *Monasteria*; secus est, post mortem Patris, ut notat Rodriguez tom. 1. *quæst. Regul. q. 13. nu. 6.*

Not. 8. c. 2. *h. tit. & decretum Trid. sess. 23. de reform. cap. 15.* dicens *Filium Clerici, illegitimè natum, non posse obtinere beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia, in qua Pater ejus ex officio ministravit*; imò nec pensiones super fructibus paterni beneficij; juxta Layman in cit. c. 2. nu. 3. etiam extendi ad Religiosos, ut ipsi, si à Clericis illegitimè geniti sint, ministrare non possint in sæculari Ecclesia paterna; quia & in his militat ratio, ex qua procedit Tridentinum, ut *paterna incontinentia memoria à locis sacris aboleatur.*

* * *

